Nobilissimo viro D. Constantino Hugenio
Eq. Zulichemi et Zeelhemi Domino &c.
Caspar Barlaeus S.P.D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime et multis nominibus praestantissime Vir,

iam semestre est et ultra, ex quo piscibus omnibus fui mutior, alias ipsis ranis et vernis et aestivis loquacior. Ita et silendi tempora nos manent et loquendi. nec silui ratione, sed morbo, nisi et hoc à ratione sit, non loqui et scribere, cum neutrum possis. Certè ἐχεμυθίαν invito imperavit illa mali et adversae valetudinis species, quae bonas erectioris animi species pervertere solet. Scis quid velim, quid innuam. utor ambagibus et periphrasi, quia piget πάθος illud nominare, quod me iamdudum malè habuit et lentum, pigrum, amicorum omnium immemorem, imò stipitem fecit et velut immobile saxum. Fui Niobe sine sensu. fui Morpheus, hoc est somniorum et inanium imaginationum fabricator mirus. fui veteris Moriae et Euphrasiae tuae recens natae illustris pars. fui captus oculis, non iis, quibus Lynceus valuit, sed quibus distinguimur ab iis viventibus, quae alteram animalis speciem sub ~~Caec~~idinearum(?) apud Aristotelem constituunt. Memini paginam in isto tuo libello. ubi secundam meditaberis editionem, non repugno, si permiscear tot coecutientibus Achivis, aut alicubi reiiciar exempli gratia inter notas et scholia. Iam videor mihi expergisci et ex longo veterno diducere palpebras. Endymionem egi, hoc solum discrimine, quod ille expergefactus post tot annorum dormitionem neminem suorum noverit; ego novisse mihi videor et te Zulechemi inter primos. qui in aula vivis, cum es alterius; in Vitaulio, cum es tuus. in aulâ cum negotiosus esse cogeris, in Vitaulio, cùm te negotiis subducis sponte, quod quantivis est. in aula cum scribis iussus ad Principes, in Vitaulio, cum scribis iniussus ad amicos. in aula cum calamus militat et aut ex hybernis ciet militem, ut olim, aut copiarum numerum accidit, ut iam. in Vitaulio, cum Phoebo ~~[illegible]~~ vacas et silvestrem arguta musam meditaris avena. Si vacabit ad me scribere, iam domi sum. fui in Utopiae regno, ubique et nullibi, vagus erro et depravatissimae Dominae, quam Phantasiam vocant, in cuius vestibulo sedere luctus et curae, mancipium. illa me peius habuit, quam Turca captivos Christianos. Isti Chimaerae illigatus expediri cupio et expedior indies amicorum alloquiis, contubernio et non nimis seriis narrationibus. Confer symbolam, et scribe aliquid non tragicum sed comicum. dic te talem nec esse nec fuisse, qualis fui non ita pridem ego, nec meus, nec tuus nec ullius, et felicitatem hanc tuam remedii mei partem putabo. Si illud votum ratum habeat Deus, ne unquam tali

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 180
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4704

fias, aut fiam post haec ego. Jamjam recedent sensibus improbae
Nubes et orbi reddar amoenior,
Et te iocari, summe vatum,
Et meminisse velim tuorum.

Vale vir maxime et tuos saluta, etiam ubi occasio fert
Nob. Dnum Vicofortium. Amstel. xxiij. Nov. CIↃIↃCXLVII.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 180
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4704

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 180
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4704

A mijn Heer
mijn Heere Constantinus Huijgens,
Ridder Heere van Zuylichem, Raedt
ende Secretaris van
Sijn Hoocheyt

Haghe